

ρῶν ῥοάς. Verbo *περᾶν* autem praepositio addatur necne perinde est. *Andromacha* v. 864. ἃ διὰ *Κυανέας* ἐπέρασεν ἀντιὰς πρωτοπλόος πλάτα.

V. 949. σοφιστὴν δ' ἄλλον οὐκ ἐπάξομαι. Perperam haec interpretes de musico nescio quo, quem arcessituram se neget *Euterpe*, accipiunt, et prayae sententiae culpam, quae ipsorum est, in poetam conferunt. Dicta sunt haec verba eadem mente qua illa οὐδὲν δ' Ὀδυσσεὺς οὐδ' ὁ *Τυδέως* τόκος ἔδρασε δράσας. *Minervae* enim, inquit *Musa* cum acerba ironia, hoc debeo, quae filii mei caede gratiam mihi tot beneficiorum in se collatorum rependit: neque opus habeo alio veteratore, quem huius caedis auctorem feram. Confer iam *Herculis Fur.* v. 890., ubi chorus μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι ait, postquam nuncius ex aedibus egressus dixisset ἄλαστα τὰν δόμοισι.

V. 969. οὐτ'. Fortasse ἔτ',

IONIS v. 3. Male vulgo ἦ μ' ἐγείνατο.

V. 30. Scribebatur πτόλιν. Hac vero forma non nisi metri causa utuntur tragici.

V. 81. Post ἐγὼ *Scaliger* νίν addidit, ego σφέ, quam ἐγώγε praebeant duo MSS., nisi forte hoc ipsum a correctore profectum est,

V. 87. Reliqui plerorumque librorum scripturam καταλαμπόμεναι τὴν ἡμέραν ἀψίδα βροτοῖσι δέχονται. Cuius loco quod est uno in libro scriptum τὴν πραεῖαν ἀψίδα, id nec metro satisfacit nisi addito γ', quod ipsum plane iners et otiosum est, et interpretationi, cuius loco in alio libro ascriptum est, simillimum videtur. Sed ἡμέραν qui hic intulit, non, puto, adiectivum esse voluit, sed substantivum, quo illud ἀψίδα interpretaretur. Id deinde expulit adiectivum illud quod ad ἀψίδα addiderat *Euripides*, quodque neque ἡμερίαν neque πραεῖαν fuit,

V. 98. στόμα δ' εὐφημον φρουρεῖν ἀγαθόν. Legebatur φρουρεῖτ', unde frustra in explicando aut emendando inani et inepto illo ἀγαθόν laborarunt interpretes. Caeterum sequentia φήμας τ' ἀγαθὰς τοῖς ἐθέλουσιν μαντεύεσθαι γλώσσης ἰδίας ἀποφαινεῖν minime de responsis ab ministris *Apollinis* reddendis accipienda sunt cum interpretibus. Impium enim fuisset fausta responsa iubere sacerdotes edere deum consulentibus, quae illi talia qualia ab deo acciperent, sive fausta sive infausta, reddere debebant. Deinde si ii qui iamiam accipiebant responsa ex ore vatum etiamtum ἐθέλοντες μαντεύεσθαι erant, quando tandem futurum erat ut μαντενόμενοι fierent? Denique ἰδίαν γλώσσαν, nisi contraria cogitanda esset aliena, non dixisset *Euripides*; neque enim bonae notae scriptores, sicut recentiores,